



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Martinii Tridentini E Societate Jesu Sinicae Historiae Decas Prima

Martini, Martino

Monachii, 1658

Quintus Imperator Mous. Imperavit annis LV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11848

paruit, oblongum præterea radium usque ad leonem (locum Lunæ non notat author) quatientis in Cometæ modum; & in palatio aqua ex puteo super os abundavit cum omnium admiratione. Anno hujus Imperatoris quarto decimo Fius Lu Reguli frater Yeu dynastam bello persecutus, acie victum contra jus fâsque interfecit. Armorum quippe causâ non alia Fio, quàm illius dynastiæ ad ditionem suam, adjiciendæ nefaria cupido erat. His malis Imperator per socordiam non tantùm non obviam ivit, reprimendo Fio, quod erat facillimum; sed si arma poneret, præteritorum oblivionem, ut affini spondet, ereptæque dynastiæ injuriam ratam habet. Anno inde vigesimo septimo (erat is ante Christum natum millesimus vigesimus sextus) natum esse Xacam tradunt, Indiæ Philosophum, idolorum & transmigrations ad Sinas authorem: de cujus placitis tum plura memorabo, cum res anni post Christum natum sexagesimi quinti venient explicandæ. Hujus enim anni mensè decimo penetravit ad Sinas, ut initio historia jam ex parte diximus.

QUINTUS IMPERATOR MOUS.

Imperavit annis LV.

*Cyclo 29 anno
17. ante chri-
stum 1001.*

*Bellum cum
Tartari ge-
nitum.*

MOUS CHAI filius, acceptum à patre imperium, magnis virtutibus illustravit. Immoderatiùs tamen aliquantò equos amabat, & currus. Nihil enim jucundius, quàm sublimem equo, aut curru vehi. Utriusque generis selectâ undique copiâ, incessit eum cupido, equestrem juxtâ curulè que pompam toto imperio ostendendi: Quæ res ut haberet speciem curæ publicæ, placuit obire provincias. Anno imperij trigesimo quinto bellum indixit TARTARIS, quos Sinæ TAIUM vocant, radices IMAM live montium Amiseorum, quâ CROCEI fluminis fons ad Sinas solera obeuntem spectantes procurrat, accolentibus. CUCUNGUS, qui Imperatorem sibi generum adjunxerat, hujuscemodi dictis eum a proposito conatur avertere. *Clara Imperatorum atque excelsa virtus pacem quàm bellum amat. Arma non tradant nisi coacti; semper invisa, semper calamitosa sibi, populo,*

pulo, & avio, denique non visus magis quam victoribus. Quam enim indignum, gloriam e suorum pernicie quarere? quam non humanum, hominem hominibus afferre morte. n. ? Ex quo intelligas, quam longè Christianorum consilia debeant abesse à bello non necessario; cum sanguis humanus execrandus belli color, tantæ sit reverentiæ Christum ignorantibus. Verùm hæc facilius averferis, quam persuadeas. Nec enim illa CICUNGI est ab Imperatore pronis auribus accepta oratio. Quare in TARTARORUM fines exercitum ducit omnibus instructum auxilijs, præceptaque victoriæ spe jam propè triumphantem. Sed TARTARI explorato hostium adventu, sive viribus sive animis impares salutem fugâ quæsiere; omnibus, quæ poterant, secum asportatis, abactis armentis tentorijs alibi positis, more gentis. Ita ne viso quidem hoste Imperator referre pedem coactus, multis suorum desideratis quæ erant itinerum rerumque aliarum incommoda, cum ignominia & dedecore, omniumque odio domum redijt. Ibi bello in venerationem translato, postquam homines non licuit, cum omni reliquo exercitu feras agitavit. Et hinc quidem ingentem prædam egit, at stipendio nequaquam parem. Hanc tamen infamiæ notam, quæcunque fuit, obliteravit eximia de cetero virtute insignis Imperator, æqui & justitiæ pertinax inprimis. Vix dici potest, quanta eum subierit pœnitentia spreti consilij, quod dederat CICUNGUS. Ab hoc temeritatis veniam petijt; in hujus potestate, siquid esset imposterum author, nunquam non futurum se promisit. In alijs ejus dictis hæc celebrantur. *Si aulici probi sunt, ajebat, & rex probus erit: sin assentatores; rex quidem bonum se credet, at non erit.* Boni Principis famam ut plurimum ab aulicorum virtute pendere prædicabat: hinc ab ijs cavendum maximè, qui auribus solum & oculis serviunt.

Malo successu.

Bellum in venerationem translato.

SEXTUS IMPERATOR CUNGUS.

Imperavit annis XII.

MOO vitâ defuncto CUNGUS ejus filius regiminis initia exitia. *Cyclo 30. anno 12. ante Christum 946. Libido excidij causa.*
bili scelere funestavit; MIE regione funditus deletâ, cujus Præfectus tres eximia pulchritudinis puellas fugitivas ejus oculis subdu.

N 2